

1497 ut commeatum in tuto fisteret, navibus hostium, magno & ipsis detimento illato, vento adspirante se subtrahentibus, interfectis suæ navi hominibus permultis, vulneratis centum viginti, ex reliquis navibus non paucis desideratis, vulneratis parte plurima, hostes discedentes Triturritamque conversos reliquit. Terrestri autem itinere dum reipublicæ milites & Græci equites Pisa missi reverterentur, Cevæ oppidi, quod est supra Savonem, atque in Gallorum partibus a regulis indigenis obtinebatur, fines ingressi, eos percurrere cœperunt. Ea intellecta re oppidani permoti, cum militibus, quos habebant complures, armis captis ad eos contenderunt: quos illi excipientes universos fuderunt, complures occiderunt, captivos ducentos fecerunt: deinde ulterius progressi, cohortatique inter se, in oppidi suburbia bipartito irrumptentes, præda & cæde facta duabus ex partibus ignem intulerunt.

Atque ea prope omnia tametsi ex Ludovici usu, & reipublicæ voluntate maxime tunc quidem cecidissent, tamen propterea quod illis ipsis diebus nuncii crebriores sunt allati, Carolum omnino aut ipsum in Italiam venturum, aut magnos exercitus missurum, Senatus decrevit, ut imperator cum equitibus octingentis ad exercitum contenderet, copiæque reipublicæ omnes ad Padri ripas se se sifferent. Delecti etiam centuriones decem, militibus Brixiae conscribendis mille, ad exercitumque adducendis. Ex Rhetis quoque trium millium militum numerus pusilla pecunia conscriptorum adventare dictus est, ut Brixiae solidum stipendum acciperet. Ea per populos opinione de Carolo, timoreque crebrescente, Tristanus Saornianus e Fori Julii principibus, Hieronymi frater, homo reipublicæ amantissimus, Bernardum Bembum patrem meum Decemvirum magistrum adit. proponit habere se necessarium sibi hominem Epirotam, callidum & ingenio peracri, nihil omnino ut sit, quod ei non mandari recte possit: huic esse cum propinquuo suo, quem Carolus Gallorum rex cubiculi mini-

Confiliuum
ve Carol
deneno tol
lendo.